

per Forojulienses in Capitaneum: qui eodem anno mortuus est in Civitate Austria.

Eodem anno die VIII. exeunte Septembri, D. Philippus, frater dicti Domini Ducis, electus fuit in Patriarcham: sed privatus fuit per Summum Pontificem Gregorium. Qui cum non confirmaretur, receptus fuit in Capitaneum, salvo jure electionis Patriarchalis. Et tunc equitavit cum exercitu super D. Arthicum de Castello, fautorem D. Alberti Comitis Goriciæ, comburendo bona sua, & roncando usque ad burghum.

Anno Domini M. CC. LXX. in Festo S. Odorici cecidit in Civitate Austria, & circa tempestas grossior ovis gallinacis multo: quæ fructus terræ, arborum, atque frondes cum plantis & corticibus abstulit: volatilia, & etiam quadrupedia, quæ reperit extra domos, interfecit; & etiam homines interfecit, ut ferebatur.

Anno Domini M. CC. LXXII. in Vigilia S. Matthei, Federicus de Pinzano, qui tunc Vicarius erat D. Philippi Capitanei superscripti in Forojulio, furtive circa horam tertiam armata manu intravit Civitatem Austriam, quibusdam hominibus de Civitate ipsum introducentibus, & quasi pacifice tanquam amicum Civitatis; eis dicentibus publice, quod non veniebant causa mali. Ubi multorum abstulit bona; quosdam Utinum, quosdam alio ad suum beneplacitum transmittendo: quosdam captivando, Carlucium de Civitate & unum de Prata decapitando, Sophyam filiam Floretæ comburendo, & volendo etiam alios decapitare.

Eodem anno, die VIII. intrante Majo, in Aurora captus fuit burgus pontis per Forojulienses fideles Ecclesiæ Aquilegensis; & quosdam Theonicos Regis Bohemiæ, invidentes Federico de Pinzano.

Item eo die sicut burgus pontis captus fuit, dictus Federicus fecit comburi burgos S. Petri, & S. Sylvestri: & in nocte subsequenti fecit pontem lapideum burgi S. Petri.

Eodem autem die supervenit Nobilis Vir Wolricus de Durnolz, Capitaneus Regis Bohemiæ, cum exercitu magno, hora vespertina: & obsiderunt Civitatem.

Item die Sabbati sequenti, Civitas data fuit dicto Capitaneo, & claves Civitatis ei assignatæ fuerunt in Ecclesia Sancti Stefani per D. Dyethalmum de Villalta, qui erat fautor dicti Federici in Civitate.

Eodem anno, in Vigilia S. Johannis, percussit fulgur in quodam Monte apud Soncium, ita quod mons ardens pluribus diebus fumum emittebat quotidie ad quantitatem domus ardentis.

Anno Domini M. CC. LXXIII. die XI. exeunte Decembri, factus fuit per Alexandrum Papam Ven. Pater Raymundus Mediolanensis Episcopus Cumenis Patriarcha Aquilegensis.

Anno Domini M. CC. LXXIV. die Veneris XVII. Augusti, venit in Forojulii Ven. Pater Raymundus Patriarcha: & tunc die crastina in Civitate compromisit cum D. Alberto Comite Goriciæ, Patriarcha in Nepotem suum Potestatem Paduanorum, & Comes in Dominum de Turis, & communiter in Dominum Gerardum de Camino, de omnibus questionibus, quæ erant inter eos. Et sic Patriarcha, & Comes per se, & amicis eorum facti sunt amici. Et interim Comes exposuit se, & juravit stare præceptis Domini Patriarchæ: & tractantibus Dominis arbitris & aliis de compositione, concordia, & pace inter Dominum Patriarcham & Comitem; dicto Patriarcha petente Cormons Comiti, qui erat in Camera Patriarchali in Civitate super his, ac præcipiente quod sibi daret Cormons, quasi

ad habendum consilium Comes latenter exivit, & sine licentia occulte cum paucis exiens Civitate, recessit: & facti sunt inimici ut prius, non obstantibus Sacramento, & quibusdam securitatibus super hoc præstitis.

Anno Domini M. CC. LXXVI. die VI. intrante Septembri, fuit Natissa ita magnus, quod fuit ultra ripam usque ad murum Cimiterii Sancti Petri de Porta Bressana: & etiam ascendit per ipsum murum, & destruxit plures domos versus Natissam existentes, deferendo quidquid invenit. Destruxit indifferenter omnia molendina, & portam & murum Pusternulæ factum in defensionem terræ. Ad pontem ascendit usque ad summum gradum: & tantum de summitate majoris faxi pedis pontis remansit aliquantulum, quod aqua non transcendit.

Anno Domini M. CC. LXXVII. die Jovis V. exeunte Majo, in Civitate Austria in Palatio Patriarchali in Colloquio Generali D. Raymundi Patriarchæ, cum Prælati, & Nunciis contrarium, statutum, & ordinatum fuit; quod quodcumque debitum non requireretur infra XV. annos, ex tunc peti non posset; & debitor absolutus existeret.

Anno Domini (a) M. CC. LXXXIV. die quarto exeunte Junio, venerunt Veneti primo ad edificandum unum Castrum apud Duynum juxta Marzilanam, & S. Johannem, in mari, longe a terra plus jactu machinæ vel ballistæ.

Anno Domini (b) M. CC. LXXVII. die Sabbati XI. intrante Septembri, arripuit D. Raymundus Patriarcha iter accedendi ad Rodolphum Illustrum Regem Romanorum, exiens Civitate, & vadens Utinum ad Colloquium. Reversus est ab Imperatore in Utinum die nono intrante Novembri: & die Lunæ sequenti, fecit idem Patriarcha amputari. Morando de Faganea manum in Faganea; quia ipse Morandus confessus est sine tortura, se ad petitionem D. Rantolphi, & D. Matthiæ de Glemona, & Dominorum de Tricano scripsisse quasdam litteras in contrarium Domini Patriarchæ.

Anno Domini M. CC. LXXVIII. die Veneris sexto exeunte Augusto, interfestus fuit Ottacarus Rex Bohemiæ a suis in exercitu, seu conflictu, qui fuit inter ipsum ex parte una, & Illustrum Regem Romanorum D. Rodolphum ex alia.

Anno Domini M. CC. LXXIX. die VII. exeunte Aprili, in Festo S. Georgii, fero in crepusculo semel, & etiam circa mediam noctem hora matutinali Fratrum, fuit terræmotus tantus; quod quædam Castra diruerunt; & qui in ipsis Castris inventi sunt, interfecit.

Anno Domini M. CC. LXXXII. die VIII. exeunte Majo, impositus est primus lapis Ecclesiæ S. Sylvestri edificandæ in terra, quæ dirupta fuerat per Dominos Johannem & Odoricum de Portis, & eorum fautores: & fuit impositus per D. Fulcherum Episcopum Concordiensem de licentia D. Raymundi Patriarchæ.

Anno Domini M. CC. LXXXII. die tertio exeunte Augusto, venit primo aqua fontis Civitatis apud domum Communis, & in Curia Domini Patriarchæ.

Anno Domini M. CC. LXXXIII. in principio Maii, incepit D. Raymundus Patriarcha, una cum D. Alberto Comite Goriciæ, Tergestinis, & Muglensis, guerram contra Venetos; & expugnare Civitatem Justinopolim, & Venetos qui retinebant Justinopolim, & alias Terras Istriæ. Et tunc fuit.

(a) Sic in Codice.
(b) Sic in Codice.

et in hac spectantia ad
ecclesiam Aquilegensis.

De electione Domini Philippi
Hans' dicit in patriarcham

de tempestate
(de pluviam narrantur)
bro

(discuri)

lego

Item etiam de adventu Domini
Raymundi patriarche

de inundatione
aquarum Adriæ

greque

tam tamen

de statuto debito

(diesmaris
(diesmaris))

de castro Belfort
hereditate per Venetos

Chand' dominus
patriarcha Raymundus
monasterio in loco
imperiali

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri

de tempestate
discuri